QVOD. FELIX. FAVSTVMQVE. SIT.

PROLVSIO. ACADEMICA.

DE.

EO. QVOD. NIMIVM. EST.

IN.

IVRISPRVDENTIA. ROMANA.

QVAM.

RECITATIONES. SVAS. AESTIVALES.

AVSPICII. CAVSA.

ANTEIRE. IVSSIT.

FRIDERICVS. WIDEBVRG.

I. V. D.

HALAE. SALICAE.

OPERIS. GRVNERTIANIS. 1731.

Digitized by Google

DE.

EO. QVOD. NIMIVM. EST.

IN.

IVRISPRVDENTIA. ROMANA.

CVm immoderate ſaepenumero in agendis rebus uerſantur homines, tum in excolendis artibus diſciplinisque, quae eruditionis circulo continentur, parum quandoque moderate laborant eruditorum ingenia. Quibus iure ac merito obiicias illud NEOPTOLEMI apud ENNIVM: *Paucis philoſophandum: nam omnino haud placet* (a) Quemadmodum enim aliquis ſcientiarum orbis eſt, & propria unicuique compages, & certi fines limitesque, quibus earum natura terminatur: ita eſt etiam aliquid inopportunum ac inamoenum, minusque idoneum, quod uiolatis finibus iis, quos omnibus imperat natura, & ex aliqua animorum luxurie, exoritur. Prodeunt itaque deformes interdum diſciplinae, & longe aberrant ab utilitate, ſiquidem moleſta ſedulitate corrumpantur, & peruicacibus exerceantur ingeniis, ac degeneri conatu educantur, abiecta omni ueritatis ac naturae religione. Eſt ſane unicuique diſciplinae propria ueri inueſtigatio, neque uero ulla ars eſſe debet, cuius neceſſitas utilitasque non ad ſingulare beneficium uſumque hominum referri poſſit. Vti enim animo diuerſarum rerum cognitione opitulari ſolemus,

(a) Scripſit olim de hoc effato eruditum programma illuſtris Dn. a LVDEWIG inſertum *opuſculis* eius *miſcellis* Tom. II. p. 762 - 768. quo ueterum Philoſophorum nenias perſtrinxit, ſobriamque philoſophandi rationem commendauit.

Digitized by Google

mus, & artium ope diſciplinarumque ad eas res adducimur, quas ſcire uel oportet, uel expedit, uel denique delectat quodammodo: ita fugiat primum ſapiens inanium ſtudia & ineptiarum labores, quarum licet quaedam ueritas eſſe poſſit, & certa definitaque ratio, tantum tamen ab animis noſtris abeſſe debent, quantum abſunt a uera hominum utilitate. In iis uero ſcientiis, quarum eſt aliqua cum uirtute atque ſapientia cognatio, idem eſt aliquod uerum, uarium quidem ac multiplex, pro rerum ipſarum, quibus cognoſcendis nos damus, uarietate. Neque ineſt tamen animis hominum diuina uis, ut celeriter arripere omnia, & abſque aliqua circumitione aut interuallo ueritatis poſſeſſionem occupare poſſint. Eſt enim illa hominum naturae impreſſa labes, ut tardius duntaxat in ueritatis inueſtigatione progredi queant, & laborent aliqua difficultate cognitionis atque animorum, quam incorruptam perfectamque deſtinauerat iis a principio OPTIMI uoluntas CONDITORIS. Quamobrem habent artes atque ſcientiae ſua ſubſidia, ſuaque adiumenta, quibus illae carere nequeunt, quibusque inſtructi armatique eſſe debent omnes, qui ad earum cupiditatem animum adiiciunt. Quis uero putet in ipſa interdum uia errari, ſicque ad ueram ſcientiarum poſſeſſionem ſaepiſſime aditum, euntibus etiam ac contendentibus, intercludi? Cuius rei culpa neque in ipſis ſcientiis, neque in ſubſidiorum natura eſt, ſed in iis reſidet unice, qui perperam & incaute utendo ſe ipſos fraudarunt ſaepenumero ſpe uidendae ac conſequendae ueritatis. Id uero eſt, quod nimium eſſe putamus in diſciplinis, ſola animi moderatione & quadam ſtudii ſobrietate uitandum. Quam uaria autem & multiplex hic peccandi occaſio! Namque & intempeſtiuus ſubſidiorum uſus, & improuida electio, & inconſulta commixtio, & fingendi licentia, & animi inuerecundia, ſiue tyrannicum in ſcientias imperium, quandoquidem mancipii inſtar habeantur oſtentationis, & erroris, & peruicaciae, & ſubtilitatis, augent mala diſciplinarum, tantumque iis addunt dedecoris, quantum remotae ſunt ab illa quaſi aeterna naturae lege ac neceſſitatis. Sicuti enim natura odit nimium, & habet aliquid, in quo rerum integritas, & ſimplicitas, & uera pulchritudo conſiſtit: ita ipſius ſimilitudine naturae ſcientiae tantopere deſiderant ſuae uindices integritatis, quam deprecantur tyrannos, & a temperatione ſapientique moderatione abhorrentes animos. Habet has uices, habuitque ſemper, conditio doctrinarum, ut temporum ſeriem quodammodo excipiat diſciplinarum ordo, atque modo haec, mo-

do illa, ex communi ſcientiarum conſortio atque neceſſitudine flagrantiſſimos ſui cultores nacta fuerit. Eſt enim hic quaſi ſpiritus, eaque uis aetatum, ut breui exardeat, deinceps remittat iterum, amor diſciplinae alicuius, prout uaria ſubinde & famae, & aeſtimationis, & exemplorum auctoritas eſt. Quemadmodum uero quod maiori contentione ſuſcipitur opus, urgeri plerumque ſolet nimium, quod modum in rebus omnibus ſaepe transgrediuntur, raro attingunt, homines: ita factum ſaepenumero, ut eaedem, quae in omnium ore atque oculis eſſent, diſciplinae excederent fines, & propius a luxurie abeſſe uiderentur. Quod in uariis earundem, praecipue poſt felicem illam bonarum litterarum inſtaurationem, contigiſſe uidemus. Habuerunt linguae, habuit uniuerſa antiquitas, habuerunt marmora atque numi, habuit Critica ars, habuit Philoſophia illaque ars inueſtigandae ueritatis, habuit naturalis ſcientia atque Matheſis, habuit hiſtoria, habuerunt aliae diſciplinae ſuos interpretes atque antiſtites, quibus tamen animi conſiliique nimium fuit interdum pro excolendis ſcientiis iis, quas communis temporum aeſtimatio mirifice commendare uideretur. Neque de ſingulis iam commemorare attinet, de quibus non ſpernenda monuit B. THOMASIVS *in cautelis circa praecognita Iurisprudentiae:* ſola teſtor amoeniſſima pariter ac utiliſſima otia rei litterariae. Fuiſſe etiam uetuſtati aliquam eius curam, EVDEMI (a), CICERONIS (b), SVETONII (c), DIOGENIS (d), PHILOSTRATI (e), EVNAPII (f), HESY-

(a) Qui *hiſtoriam Geometricam* ſiue omnium in hac arte inuentorum enarrationem ſcripſit, quae tamen cum ceteris eius uoluminibus intercidit. Fuit EVDEMVS auditor ARISTOTELIS, patria Rhodius.

(b) Propter librum *de claris oratoribus*, quem commentario illuſtrauit SEB. CORRADI, rarius obuio in Germania, editoque Florentiae 1552 fol.

(c) Cuius habemus *de illuſtribus Grammaticis* & *de claris Rhetoribus* libros duos, adiectos uitis Caeſarum.

(d) Cuius praeclarum opus *de uitis Philoſophorum* ſuis aliorumque commentariis copioſe inſtruxit AEG. MENAGIVS.

(e) Flauii, qui *hiſtoriam Sophiſtarum* ſcripſit, uitamque APOLLONII TYANAEI, cuiusque ratio dicendi elegans & character Sophiſtam decens nitidusque eſt, uti de eo SCHVRZFLEISCHIVS V. C. iudicat *in epiſtolis poſtumis P. I. ep.* 153. Philoſtratorum opera edidit D. GODFR. OLEARIVS, Theologus olim Hallenſis.

(f) Qui uixit ſub THEODOSIO, ſcripſitque *uitas Philoſophorum & Sophiſtarum.* Cepit quidem conſilium adornandi EVNAPIVM PETR. LAMCIVS,

HESYCHII (a), PHOTII (b), SVIDAE (c) aliorum ſtudia declarant. Poſtquam uero recentiori aetati iidem patefacti fuerunt receſſus, & diligi coeperunt ſcriptores, qui natales, incrementa, fata, ſubſidiaque bonarum artium, & eruditorum hominum maximorumque ingeniorum memoriam in litteras retuliſſent, communi propemodum conſenſu adeo fatigari coepit hoc genus ſtudiorum, ut docti indoctique paſſim litterariae rei meritis ſibi blandirentur, ſiue laudabiliter ſapienterque id ab iis ſuſceptum foret, ſiue inanium ſpecie ineptiarum librariarum mercium moles quotidie excreſceret. Quo ſane iudicio aeſtimanda illa ſterilis titulomania (d): illa λεπτολογίων farrago inanis: illa inutilis cura ſubtilitatis: illa diurnorum & ephemeridum luxuries (e) quas a laudatiſſimis inſtitutis ad peſſimam quandoque auctorum & librariorum nequitiam degeneraſſe nouimus: illa in ceteris argumentis intemperantia, cui adiungo ſigillatim illam in cogendis eruditis a coelibatu, coniugio, moribus, otiis, habitu, aliaque corporis aut animi nota commemorabilibus anxietatem, qua nihil quandoque ad irridendum inſignius eſſe poteſt. Adiungo moleſtam & parum profuturam quorundam homonymoſcopiam, ubi nominum ſimilitudo integros quandoque gignit commentarios,

CIVS, ac deinceps MARQV. GVDIVS, qui uarios manu exaratos codices, bibliothecarum Mediceae, Regiae Pariſienſis, Remenſis in abbatia S. Remigii, ac Barberinianae demum, conſuluit, ſed nemo illud adhuc expleuit.

(a) Scripſit de iis, qui eruditione floruerunt, σύγχρονος Anaſtaſii & Iuſtiniani Auguſtorum, redditus latine ab HADR. IVNIO.

(b) Nota eius bibliotheca μυριόβιβλος, qua multos libros ueteres, quorum tamen plurimi perierunt, enarrauit recenſuitque.

(c) Eſt is non inficiandae farraginis collector, quae lexici uenire ſolet appellatione, ubi frequens mentio eruditorum hominum, ac librorum aliarumque rerum, quae ad hiſtoriam litterariam referri ſolent, editus Cantabrigiae cura doctiſſimi KVSTERI.

(d) Qua qui laborant, officinali ſuperbiunt titulorum notitia, laudes uero uitiaque librorum ignorant, neque de argumentorum natura ſoliciti ſunt, ſed a uera litterariae rei gloria quam longiſſime abſunt. Exemplum praeclarae eruditaeque recenſionis atque aeſtimationis ſcriptorum, remotae ab officinali ſterilitate, uideri poteſt in Ill. Dn. a LVDEWIG, Fridericianae huius Cancellarii *ſingularibus Iuris Publici* p. 18. ſeqq.

(e) Quarum enarratio ſingulare prouocauit CHR. IVNKERI Schediaſma editum 1692, multis tamen indigens acceſſionibus, propter ipſam poſteriorum temporum in hoc ſcribendi genere foecunditatem.

tarios, uiroſque immortalium meritorum haud raro coniungit cum obſcuris hominibus nullarumque litterarum, quibus nihil propemodum praeter nominis ſocietatem cum prioribus commune eſt. Quales equidem iis labores non inuiderem, dummodo IO. MEVRSII (a), LEONIS ALLATII (b), PHIL. LABBEI (c), IO. ALB. FABRICII (d), aliorumque in ſimili inſtituto laudibus eruditionique quodammodo uicini exiſterent. Sed illos iam non moror amplius Sycophantas. Saniorem quidem mentem iniiciant iis immortalia LAMBECIORVM, CONRINGIORVM, VOSSIORVM, MORHOFIORVM, BAELIORVM, CLERICORVM, FABRICIORVM, STRVVIORVM, MENKENIORVM, WOLFIORVM, exempla. Mihi iam ad Iurisprudentiae rationes tantiſper ſubmittenda oratio eſt. Quam uero optandum foret, ut ab illa ſtudiorum licentia illibatam ſe conſeruare potuiſſet legum ſanctitas, & inuiolabilis aequi iuſtique ſcientia. Neque ea tamen effugere potuit commune fatum diſciplinarum, maioremque inuerecundis mentibus ſui religionem incutere. Varia ſunt cognitionis ſubſidia, quibus uti oportet in ſcientia legum, & illius quidem reipublicae, cuius penitus deleta eſt effigies, in ueterum duntaxat ſcriptorum reliquis, & ſparſis antiquitatis ruderibus, conſpicienda. Quibus ſapienter moderateque inſtruere animum, id uero eſt e re ICtorum, quibus uera ab omnique labe uacua colitur *Iurisprudentia*. Ratiocinandi ars, uti omnes decet diſciplinas, ita a Iurisprudentia profecto abeſſe minime poteſt. Ab ea enim rerum omnium ordo, & naturalis ſeries, & ſenſus certus atque efficax cum maxime pendet. Ita rerum continentiam atque neceſſitudinem, & diuerſarum ſpecierum diſcrimina, & fines ſanctionum, & mentem ueterum prudentum, quorum fragmenta pro legibus obſeruamus, ſola eruit ſapiens ac prudens interpretatio. Quemadmodum uero rationi officit ſubtilitas, & inopportuna mentem fallunt acumina

(a) Qui de Alypiis, Antigonis, Ariſtoxenis, Philoſtratis, Ptolemaeis, Pythagoris, docte utiliterque commentatus eſt.

(b) Bibliothecarius Romanus, Heidelbergenſis bibliothecae compilator, uir omnium litterarum ac uetuſtatis peritisſimus, inter alia de Simeonibus, Pſellis, Philonibus, Nicetis, Methodiis, Georgiis multa memorabilia tradidit ſingulari commentario inſerto Corpori hiſtoriae Byzantinae.

(c) S. I. qui de claris Philippis ſcripſit, uti de Theophilis RAINAVDVS, de Antoniis SANDERVS.

(d) Qui Fabriciorum nomina ac merita cumulauit libro ſingulari, edito Hamburgi.

Digitized by Google

acumina, ſiquidem ueritatem pax ſolum & tranquillitas animi adſequitur: ita ſaepenumero eos, qui ſubtili nimium Minerua ratiocinantur, augureſque ac hariolos agere malunt quam interpretes, aberrare uidemus in ueritatis inueſtigatione, cuius adſequendae ſpe ipſi ſua culpa excidunt. Alii prout ui ingenii excellunt magis, cauillatoriis interpretationibus ſuarum opinionum peruicaciam muniunt, legumque ſententiam ad ſuae mentis conceptiones exigunt, & in ſanctiones exercent imperium, quibus obſequi ſolum, non imperare, decet. Sic alii ita ſenſiſſe CAIVM, alii diuerſum ſtatuiſſe: hic eam mentem ſediſſe PAPINIANO, alter aliud ipſum uoluiſſe: hi demum ſuae interpretationis mancipium clamant PAVLVM, quem alii uolentem inuitumque in ſuas partes rapiunt. Quae omnia pendent ab opinionum interpretationumque fallaciis, & nouarum rerum deſiderio, & contradicendi libidine. Plenius de his Perilluſtris MAGNVS A WEDDERKOPF, primum Heidelbergenſis, deinde Kilonienſis academiae Anteceſſor, denique purpuratus adminiſter Sereniſſ. Ducis Holſatiae *in diſſ. inaug. de Incertitudine iuris & remediis aduerſus eam*, edita Heidelbergae 1664. Veritas autem ſicuti una eſt, neſcitque affecti & laborantis animi deliria: ita ſapienti & pacata inueſtigatione, pura ac uacua ob omni acuminum mole, nimiaque & inuiſa ratiocinandi ſedulitate exquiri ſolum ac detegi poteſt. Placet de ea re iudicium G. PASCHII, Prof. Kilon. in tr. *de inuentis nou-antiquis p. 281. Illi, qui omnia tentant & impugnant, ex certis ſaepe incerta, incerta uero magis etiam dubia reddunt, & dum aliena uellicant, neque meliora iis ſubſtituunt, reapſe profitentur, ſe non ueritatis ſtudioſos, ſed gloriae animalia eſſe, uti* TERTVLLIANO *hoc philoſophorum genus appellare placuit. Quae immodeſtia tanto magis a Iurisprudentia abeſſe debet, quo grauius hinc naſci poſſit periculum ac detrimentum*, cetera. Commemorabilis ex ueteribus, praeter Q. AELIVM TVBERONEM, SCAEVOLAE *σύγχρονον*, de quo A. GELLIVS *in noctibus Atticis lib. I. c. 22.* eum *nimis abundanti* doctrina fuiſſe, LABEO, Proculeianorum familiae auctor, qui praecipue ad dialecticam animum appulit, atque cum inſigni praeterea eſſet ingenii facultate, miro acumine ſe extulit, ſic ut definiendo reſpondendoque ingenio nimium indulſiſſe omnibus uideatur. Auſus is fuiſſe dicitur maiora prioribus ICtis, quandoquidem ueterum traditionum fines ſaepenumero egreſſus eſt, ſuiſque ratiociniis antiquarum legum dictamina praeter modum exercuit. Quod idem ſi multis noſtrae ac ſuperioris aetatis ICtis uitium ineſſe dixerim, qui ratiociniis

labo-

Digitized by Google

laborant nimium, ſuisque acuminibus quodammodo confodiunt leges, proxime non minus a ueritate quam inuidia abeſſe uideor. De quibus intelligendum puto AEMIL. FERRETVM, qui *ad L. 12. π. de acquir. uel amitt. poſſeſſ. Vtinam*, inquit, *doctores noſtros non cepiſſet ea inſania, ut mallent leges condere, quam interpretari.* Ad illam uero & ratiocinandi licentiam & interpretandi accedunt illa eruditorum hominum certamina, mutuaeque diſceptationes, ſiue ore demum ſiue calamo commitantur diſſidentes, in quibus ſaepiſſime modeſtia in oſtentationem, uirtus in iniquitatem, candor in fraudem, ueritas in errorem uerti ſolet. Poteſt tamen eſſe diſputatio quaerendae remedium ueritatis. Sed raro animorum feruor, & propoſiti pertinacia, & uanae aucupium gloriae, & inſcita dicacitas, & irarum tumultus, ab ea abeſſe conſueuit, atque locum facere bono, pacato atque ſincero ad concipiendam ueritatem animo. Quamobrem tantopere odiſſe arbitror id genus diſceptationum pium magnumque Britanniae Philoſophum, IO. LOCKIVM. Is enim, licet maximus eſſet uirium mentis humanae ſcrutator, atque ſolicitus in colenda ueritate, eiusque finibus inueſtigandis, aeterni auctor operis, *de intellectu humano*, quod Gallice iteratum a COSTEO, Latine a BORRIDGIO, habemus: qua tamen erat animi ſapientia atque manſuetudine, abhorruit omnino ab iſtis concertationibus, in quibus ſaepe fidei, bonitatis, moderationis, ueraeque laudis cernitur exilium, atque ſubtilitati, affectui, altercationibus, infelix palaeſtra aperitur. Memorat id de LOCKIO IO. CLERICVS V. C. *in eius uita* elegantiſſime ſcripta *dans ſa Bibliotheque Choiſie Tom. VI.* quam Germanice dedit *in Actis Philoſophorum* litteratiſſimus HEVMANNVS. Idem memini ſentire B. GVNDLINGIVM noſtrum *in uia ad ueritatem lib. III. c. 7.* ubi diſſertationes eiusmodi acuminibus locum dare, ad ueri inueſtigationem ſufficere nequicquam, bene ſapienterque docuit. Quid uero ſi illa diſputandi ac ratiocinandi ars, uitiis corrupta animorum, bella indicat legibus? Nihil ſane ea re eſſe poteſt indignius aeque ac pernicioſius, idque eo magis, quod legum ratio non opinionibus ſolum, ſed uitae & fortunis hominum, dominatur. Quod legum dictamina non ICtorum parere debent ingeniis, ſed illa in homines exercent imperium. Quorum uis atque efficacia ratione indaganda, non circumuenienda argutiis, aut uana ſubtilitate opprimenda eſt. Orauit aliquando humaniſſimus ICtus I. V. GRAVINA in auditorio Romano *de recta in Iure diſputandi ratione*, quod argumentum exſtat in eius operibus iunctim recuſis

Lipſiae

Lipſiae 1717. Proſcripſit ille omnem inanis dialecticae uſum ex Iurisprudentia Ciuili, multaque dixit, quae ex ſingulari erga dialecticorum familias manaſſe odio arbitror. Detexit feliciter nenias Syllogismorum & ſcholae Peripateticae, illamque formularum ſterilitatem. *Concluſiones*, adiicit, *uerae non e formis illis puerilium argumentorum exoriuntur, ſed ex ipſius ueritate materiae, quae quibuscunque uerborum formis eluceat, ſuapte ui mentibus dominatur.* add. SENECAM epiſt. XLVIII. & LXXXIIX. Neque ſcio interim an multum profuerint Iurisprudentiae dialecticarum Iuris ſcriptores. Nota HOTOMANNI, SCHICKARDI, FREIGII, OTTONIS, STEPHANI, VIGELII, EVERHARDI, aliorumque nomina, de quibus iudicat DAV. MEVIVS *in praef. ad prodrom. I. N. & G.* alios recenſet Cel. STRVVIVS *in biblioth. Iuris c. IX. §. 2.* Certe hi omnes nimio ſtudio officiunt Iurisprudentiae, animosque diſtrahunt, parumque ad uſum conferunt. Fuerint enim otioſis ingeniis deliciae ſuae, quibus ſcholae ſuo iure ſuperbiunt, aberunt tamen illae a ſolida Iurisprudentia, cui rerum cura maior, quam uerborum & inanium cogitationum. Regulas Iuris collectas habemus ipſius beneficio IVSTINIANI. Illas uero ad regendum iuris argumentorum ordinem ac diſpoſitionem facere mirifice, & praeclarum in interpretando fundamentum eſſe, facile dixeris. Neque diſſentirem ipſe, dummodo communes eſſent omnes, neque certae rei aut occaſioni dictae, quas infinite prorogare imperitum eſt. Id enim non uitauit omnino ſtudium illud colligendi deſcribendique uaria prudentum effata, quorum proinde numerum ex aliis ICtorum libris augere uelle, cum faſtidio coniunctum eſt, uti in rarius obuio RYSEWICI libello (a), & in BARBOSA (b) etiam, uidemus, ne de MANTICA (c), MENOCHIO (d), SIMONE de PRAETIS (e), PLACCIO (f), CYNOSVRAE IVRIS compilatoribus (g), aliisue dicam. Cui rei mederi olim inſtituit Ill. G. G. LEIBNITIVS *in methodo noua Iurisprudentiae*, cuius conatus placuit admodum PLACCIO *de anonym. cap. III. §. 123.* aliis uero, nec minori iure, diſplicuit.

 Defi-

(a) *De regulis Iuris praetermiſſis*, quo indefinita ICtorum effata atque enunciata complexus eſt.

(b) *In axiomatibus*, e doctorum forenſium uoluminibus immani copia congeſtis.

(c) Opus eius intelligo *de coniecturis ultimarum uoluntatum.*

(d) *De praeſumtionibus*, qui inter praecipua eſt fori oracula.

(e) Scripſit *de interpret. ultimarum uoluntatum*, ubi uaſta axiomatum ſylua nauſeam propemodum conciliat lectoribus.

(f) Is *in lib. de Pſeudon. & anonym.* LX. adfert genera interpretationis, & CCCC. regulas.

(g) Editae Spirae 1588. fol.

Digitized by Google

Definitionum deſiderium maximum eſſe apud pleroſque nouimus identidem. Certum ſane eſt maiorem earum ſolicitudinem fuiſſe apud Peripateticos, quam in porticu Stoicorum, e qua profecti fere ueteres ICti. Vnde rara in illorum uoluminibus definitio. Quod uota, querelas, opem, conſilia, multorum prouocauit, ut IAC. CVIACII exemplo ius noſtrum abundare uellent definitionibus. Illo enim dicunt uinculo ſolum contineri artem iuris, ſicque cum IVSTINIANO opportune conſociari STAGIRITAM. Quod equidem lubens iis concederem, dummodo adhuc Quiritium iuri profuiſſent illa definiendi cura, & Philoſophiae otia utilitate temperarent, neque aeterni inter eoſdem diſſenſus eſſent, & haec ſcholarum artificia curiae repudiarent atque tribunalia. Morum ſcientia & naturalis aequitas, quam naturae ius appellamus, omnino in ciuili Iurisprudentia cuſtodiri ſolicite, eaque praecipue imbuendus animus eſt, antequam ad uariarum gentium cognoſcendas leges inſtitutaque nos conferamus. Sicuti enim ea lex, cuius religione iuſſuque omnes terrae, pax, bella, reguntur, non uni duntaxat genti, ſed uniuerſo hominum generi communis eſt: ita anteire debet & comitari ſemper iura condita ab hominibus, quorum pro ſtatus, gentis, rituum, animorum, & aliarum rerum conditione multiplex ac diuerſa imago eſt. Vt tamen eniteant ubique communis ueſtigia aequitatis, & recti iuſtique conſciae ſemina naturae. Sic uniuerſe Iurisprudentiam CELSVS artem dicit boni & aequi L. 1. π. de I. & I. Praeclare PHILO *in uita Moyſis p. 675.* νόμος δὲ ἀψευδὴς ὁ ὀρθὸς λόγος οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρθὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς. *Lex uera eſt recta ratio non huius aut illius mortalis inſtitutum in tabulis chartiſue ſcriptum, ſed incorrupta ipſo ſtilo naturae immortalis enarrata in mente immortali,* & ex uero FR. BALDVINVS in prolegom. comment. ſui ad Inſtit. *Eſt lex ſcripta pura ſapientis hominis mens & ratio, ueluti extra iactum uitioſarum affectionum diuino quodam conſilio poſita, atque adeo ut ait* ARISTOT. ἄνευ ὀρέξεως νοῦς *ſine effrenata appetentia mens.* Verum enimuero nulla re uiciſſim laedi ſolet magis illud obſequium legum, quam nimio aequitatis ſtudio, nimiſque ſolicito ad communiores iuſtitiae rationes examine. Inde enim plerumque peruerſum exoritur legum faſtidium, & cerebrina aequitas, & uaga quaedam interpretatio, quae nuſpiam ſibi conſtat, ſed deſerta omni humanae legis aeſtimatione, rationem ubique ſupra leges ponit, uinculaque reuellit non modo iudiciorum, ſed etiam utilitatis uitaeque communis. Cuiusmodi cenſuram, quae a priuata aequi iuſtique auctoritate proficiſcitur,

tur, Romanorum leges raro effugiunt. Quod ipſis Romanae reipublicae temporibus factum fuiſſe a magiſtratibus alias notum eſt, idque confirmat CICERO pro Caecina, ubi: *Solent iniquitati ſuae & aequi & boni nomen opponere*, ac deinceps: *tum uociferantur ex aequo & bono, non ex callido uerſutoque iure rem iudicari oportere*, cetera. De eodem aeuo doctiſſimus SCHVBARTVS *de fatis Iurispr. Rom. exerc. III. §. 1. Non heri*, inquit, *aut nudius tertius enthuſiaſmus ille legalis ortus eſt, qui excluſa omni de iure ſcientia & arte ex cerebro hominis male adfecto, ex arbitratu priuato, aut uniuerſali quadam regula debet aeſtimari, non uero ex legum ſanctimonia & iuſta interpretatione*. Quemadmodum uero nihil praeſtabilius eſſe poteſt, quam uenerari in legibus illam optimam aequitatis ducem, naturam: ita quoque nihil eſt perniciosus, illa inani atque immenſa, omnemque legum uim, omnem auctoritatem opprimente naturalium dictaminum cupiditate, pendente ſaepenumero ab impetu atque arbitrio affectuum & animorum. *Aequitatis praetextu interdum pernicioſe erratur* ait *L. 91. π. de V. O.* Neque igitur audiendi interpretes, ſiquidem aduerſus legum rationem pugnent, earumque efficaciam intempeſtiua aequitate conuellere conentur. Doctus ſcriptor M. AVR. GALVANVS *de uſufructu c. XXIV. Interpretibus*, inquit, *plurimum eſſe tribuendum ſemper exiſtimaui, cum hi tanquam praelucentes faces illuxerint Iurisprudentiae, atqui ut auctoritati & rationi iuris praeferantur, ferre non poſſum.* Ac deinceps paullo: *Quamobrem obteſtor ne patiantur legum maieſtatem coeco aequitatis arbitrio conuelli.* Certiſſimum uero eſt, miſeram tum fore conditionem iudiciorum, ſi ab arbitrio & aequitate fallacis iudicis penderent res ac fortunae ciuium, deſerta omni legum uerecundia. Miſerum fore Iurisprudentiae fatum, cuius uis ac poteſtas imminui poſſet querelis anxiorum interpretum, qui legum nunc multitudinem, nunc iniquitatem, nunc rigorem nimium, nunc indiſſolubiles nodos, nunc inter ſe diſſidium atque pugnam ingenioſe accuſant. Debet ſane quaedam eſſe iuris auctoritas, & firma certaque conſtitutio, ſine qua moles titubant imperiorum, turbanturque respublicae, quandoquidem omnis deſcendat iuſtitia ab opinionibus diuerſiſſimorum capitum & ingeniorum. Neque habes in Romanarum legum copia, quod oderis nimium. Fuerunt illae ſumma cura, ope, conſilio perlatae, continuisque inter patres plebemque deliberationibus ſuſpenſae, antequam perpetuam ac duraturam auctoritatem nanciſcerentur. Fuerunt profectae ab inſtitutis ſapientiſſimorum hominum & populorum. Fuerunt conceptae a prudentibus, quorum plerique procul ſtudio, odio, inimicitia, quid aequum bonumque putarent in cau-

ſis negotiisque ingenue profitebantur. Quorum in noſtris litibus arbitrium ſine inuidia ac ſuſpicione eſt. Cum ceteroquin nulla res quam aequi iuſtique cuſtodia, & retinendae tuendaeque cura reipublicae apud Romanos produxerit leges, & aeterna obſeruatione ſanciuerit. Vt eaedem, ſi illa rituum religionumque ſimulachra excipias, ſcriptae inſtar ſint rationis, quibus ineſt illud communis lumen iuſtitiae, uniuerſis a natura mortalibus patefactum. Omnimoda itaque naturalis rationis reuerentia ad contemnendum uniuerſum ius ciuile perduci, & ſpecioſo aequitatis imperio ſubiicere leges, id uero eſt, quod nimium eſſe arbitramur, & quod perturbat communis rationem iuris, licet uti omnium rerum, ita & Quiritium iuris ſint incommoda quaedam uitiaque, quorum tamen odium non omne ius conuellere protinus, multo minus arbitrii fallaciam, & cerebrinam aequitatem cum ſcriptis legibus committere debet. Lectu digna ſunt, quae aduerſus ciuilium legum contemtores uehementiori deſiderio aequitatis diſputauit laudatus SCHVBARTVS *l. c. ſ. 2. ſeqq.* cum quo coniungi meretur Ill. atque Excell. Dn. Cancellarii a LVDEWIG multae eruditionis ac iudicii plena orat. *de emendanda Germ. Iurispr.* quae edita eſt inter eius *opuſcula oratoria p. 81 - 150.* Sed uenio iam ad aliud ſtudiorum genus, cui ipſa Romani iuris fata fecerunt locum atque neceſſitatem. Criticam intelligo & illam de uerbis, ſermone, aliisque ſcriptorum librorumque uitiis iudicandi artem, uti pura a corruptis uera a perperam traditis, ſincera a fictis atque ſuppoſitis bene atque caute ſecernantur. Indigent enim quandoque iuris libri auxilio iudicii, & ſapienti emendatione, quod ipſa aetas barbara, & gloſſatorum turba, & imperitae ſcribarum manus, eosdem nobis tradiderunt. Fuit olim Stoicis pariter ac ICtis ea conſuetudo, ut uerborum etiam haberent rationem, quare CICERO *lib. I. de offic. Audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde uerba ſunt ducta*, & ſigillatim de iure QVINTILIANVS in *Inſtit. orat. XII. Omnis iuris quaeſtio, aut uerborum proprietate, aut aequi diſputatione, aut uoluntatis coniectura continetur.* Cuius rei manifeſta quidem utilitas eſt, & in Romanis legibus quaedam, ut dixi, neceſſitas, quod aetatis uitio paſſim deprauatas accepimus: uerum dici uix poteſt quanta fuerit ſaepenumero in illa cenſendi iudicandique facultate luxuries & audacia, quamque effrenis licentia, quae ceteris quidem libellis pernicioſa eſt quodammodo, grauius uero fataliusque damnum infert iuris auctoritati. Piaculum enim eſſe puto impune exerceri leges ſecarique ac diuidi falcibus armisque audacium ingeniorum, qua ui atque ſaeuitia armauit pleros que maioris ſpiritus Ariſtarchos leuitas atque oſtentatio. Acute id homi-

hominum genus explodit SEXTVS EMPIRICVS *aduerſus Mathematicos lib. I. c. 6.* quod ab ARISTOTELE profectum apud Graecos teſte DIONE CHRYSOSTOMO *orat. LIII.* quae eſt de HOMERO, iterumque natum poſt litterarum inſtaurationem, quandoquidem ſepulta antiquitatis folia, & diuturno ſitu preſſae membranae codicesque deſiderarent uindices, interpretes, diuinatores. Quanquam tum aduerſariorum, miſcellaneorum, uariarum lectionum, obſeruationum multitudo inuaderet orbem eruditum, ſcriptorumque ueterum pene opprimeret reliquias, ut merito dixeris:

Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt
Qua morbi duxere manus.

Huiusmodi immenſis conatibus male precatur inter alios ROL. MARESIVS, nitidiſſimus epiſtolarum ſcriptor, in epiſt. ad HADR. VALESIVM. Criticae enim commendationem ſentiendi libido, & emendandi temeritas, & liturarum moleſtiae, & coniecturae abundantia, haud raro euertunt. DOMITIVS VLPIANVS ob uerborum aucupia dictus olim κειτούκειτος, ceterorum uero Grammaticorum ac Criticorum ſubtilitates erudite congeſſit IO. WOWERVS in *tr. de Polymathia.* Noſtrorum quoque temporum magna quaedam ingenia uix ſibi temperarunt ubique a diuinatoria illa luxurie, de qua ſuo tempore etiam conqueſtus FR. BALDVINVS *in Anti-Triboniano c. XV.* Ne uero communium duntaxat Criticorum arguam conatus, e quibus nobilis licentia SCIOPPII, cuius ceteroquin Grammatica Philoſophica plagium ſpirat Mineruae SANCTIANAE, & ambitio TAN. FABRI, DAN. HEINSIO inuiſi, qui absque codicum auctoritate ſuis refinxit diuinationibus ſcriptores ueteres, quemque praeter alios acerbe interdum inſectatur MARQV. GVDIVS, Daniae purpuratus, in epiſtolis iunctim editis in Belgio cura PETR. BVRMANNI, V. C. ipſos ab ea labe non omnino immunes habeo magni nominis meritique ICtos ALCIATVM, AVGVSTINVM, CVIACIVM, CONTIVM, BVDAEVM, VIGLIVM, aliosque, adſentiente V. C. IO. GOTTL. HEINECCIO *in praef. ad Ill. a* BYNKERSHOEK *obſeruatt. Iuris Rom.* Sane illae in legum emendatione parum religioſae manus magnopere labefactant iuris rationes, & incerta reddunt legum ſacramenta, ſiquidem ab iis aggreſſionibus minus tutae ſint, & diſtrahere eas, diſiicere, expungere, uiolare impune liceat. Caute ideo Imperator *Tit. C. de uet. Iure enucl.* uetuit ſiglis ſiue litterarum compendiis ſcribi corpus Iuris, imo & commentationibus interdixit, ne aliqua forte metuenda eſſet iuris confuſio atque perturbatio. Sed iuuat ipſum audire Cl. HEINECCIVM: *Alterum* (hominum genus) ὑπερκριτικῶν, *uti uocare ſoleo, qui ueteres iuris libros non aliter ac reliquos auctores tractant, & de Iurisprudentiae uſu ac nexu parum ſoliciti, nihil per omnem uitam, agunt, quam ut urant, ſecent, legesque ſuo arbitrio fingant refingantque, iam ſyllabam nihil tale meritam expungentes, iam aliam temere admittentes in textum, quam tanquam peregrinam in loco non ſuo errore, unusquisque deieraret,*

Digitized by Google

ieraret, cum quibus coniungi poſſunt quae ipſe habet Ill. a BYNKERSHOEK *Lib. I. c. 23.* Scripſit ideo RICCIVS *uindicias Iuris-Anti-Criticas*, quibus Criticorum inſaniam coërcere quodammodo conatus eſt. Ita enim accidit fere, ut ſanandi deſiderio corrumpantur leges, integris textibus infligantur uulnera, dubia obſcurentur magis, atque incertiora reddantur, ſicque idem efficiat Critica, quod nimia ſolet uis medicaminum, quae debilitat corpus, ſublatoque quantumuis morbo perpetuae ualetudinis ueſtigia relinquit. Antiquitatum Romanarum ſcientia, non maximum ſolum emolumentum affert ueriori Iurisprudentiae, ſed indiuiduo etiam uinculo cum ea coniungi debet. Qui enim recte ſapienterque Romanorum inſtituta addiſcet is, cui non magis cogniti ſunt Quirites, quam Indi aut Scythae? cui obſcurior Roma eſt, quam quaeuis deleta atque diruta urbs Orientis? cui ueterum rituum imagines prodigiorum inſtar ſunt, & Sibyllinorum oraculorum? cui denique priſca uerborum effigies non cedit felicius quam Druidum carmina, & obſcuri dictio LYCOPHRONIS? Admiratus priſcis iam temporibus uetuſtatis peritiam in ARISTONE PLINIVS *lib. I. ep. 22.* in ANTISTIO LABEONE & ALFENO GELLIVS *lib. XIII. c. 12.* Quae nobis certe, ſiquidem humaniorum gloriam ingeniorum gloſſatorum tenebris anteferendam putamus, longe maiorem laudem adiicere poteſt. Peccari tamen a multis antiquitatis cultoribus, qui ab ardentioris ſtudii temperatione degeneres ſunt, abundantia *ἀρχαιολογίας*, certum identidem peruulgatumque eſt. Latet enim in ea re dulcis quaedam inſania & erudita luxuries, quod rerum utilium cognitione nonnulli antiquitatum ſatietatem metiuntur nequicquam, ſed uanis immoriuntur ineptiis, doctisque nugis traducunt aetatem, ſiquidem legum, inſtitutorum, conſuetudinum curam deſerunt, circorum uero, amphitheatrorum, templorum, thermarum, idolorum, aquaeductuum uetuſtate pene exeſam molem ſolam cupide contemplantur. Sic in plerisque etiam animaduertimus antiquitatum ſcriptoribus, eſſe eos in deſcribendis rebus ſacris atque delubris Romanorum diffuſiſſimos, in adumbrandis magnis operibus ſolicitos, in luſtranda domeſtica ſuppellectile uberrimos, in ueſtimentorum cultu ornatuque depingendo curioſiſſimos, in bellicorum inſtrumentorum armorumque apparatu excutiendo inſtructiſſimos, in explanandis uero moribus, ritibus, illuſtrandisque legum cauſis fatisque parcos, circumciſos, mancos, imo pauperes omnino exiſtere. A qua re expectanda tamen lux Iurisprudentiae, quae argumenti uſusque maioris. Fugiet igitur ICtus prodigos antiquariorum luſus, & inutilia otia uetuſtatis, maiorique incumbet opera curaque inſtitutorum Latii ſcientiae, legumque aeſtimabit origines, fata, mutationem ex publici ſtatus, ac dominationis natura atque conuerſione. Habemus, quos ſequamur, optimos duces, humaniſſimos ICtos, qui ex ſapienti antiquitatis inueſtigatione lucem legibus intulerunt poſtliminio. Quinimo habemus etiam, ſiquidem bona norimus noſtra, maximorum Fridericia-

dericianae uirorum exempla, qui laudabiliter in eruendis antiquitatibus uerſati ſunt, in iisque ipſum Illuſtre nomen Dn. Cancellarii a LVDEWIG, qui Latii atque Germaniae rationes atque differentias docte exponere coepit iam pridem. Ceterum Iuſtinianei iuris ἀμεθοδείαν incuſari a multis tralatitium eſt. Plurimum itaque in excogitanda noua methodo fuit animi nonnullis, in qua re tamen, ne nimium faciamus, ſolicite pariter cauendum eſt. Quanquam enim non ea eſt Iuſtinianei moliminis perfectio, ut nihil in eo deſiderari queat, ſicque nimio fere apparatu Imperatoris cauſam egiſſe uideatur IO. OTTO TABOR *in partitionibus Iurispr. Methodicae elementaris:* puto tamen facilius ignoſcendam imaginem nouitatis compendiis atque enchiridiis, quae diſcentibus inſeruiunt, quam ſi de uniuerſi iuris conuerſione intempeſtiua agitentur conſilia. Quae ad ſimilitudinem Aſtrognoſiae Weigelianae retulit magnus quidam in omni litterarum genere uir. Conſultius enim ducimus uiam ſequi cum ab ipſo legum inſtauratore, tum a mille ſcriptoribus & interpretibus electam, ac diuturno iudiciorum uſu frequentatam, quam in uia ſingulari a tot annorum ingeniorumque tramite remotiſſima, ſine comite errare. Absque ſuffragio itaque de arte ac uia iuris, cui omnis a nouitate ſperanda commendatio, laborarunt plures. Sunt praeter connumeratos ab Ill. Dn. a LVDEWIG *in orat. de emend. Germ. Iurispr.* FREIGIVM, FABRVM, GREGORIVM TOLOSANVM, LEIBNITIVM, LORIOTVM, GRIBALDVM, GILKENIVM, CORASIVM, HOPPERVM, FELDENVM, VIGLIVM, HENR. RENNEMANNVS, HVGO DONELLVS, HERM. VVLTEIVS, IO. ALTHVSIVS, IO. KLEINSCHMID, IOACH. STEPHANI, IO. REBHAN, alii, quos ſciens uolensque taceo. Qui dum conſilio ſibi placent ſingulari, licet parum profuturo reipublicae, nimium feciſſe atque uoluiſſe ex hac quoque parte Iurisprudentiae cauſa uidentur. Poſſem equidem diſſerere de aliis argumentis, quorum aliqua cum hiſce cognatio eſt, niſi memor eſſem inſtituti, quod ad ſcribendum me impulit, quodque uobis, FLORENTISSIMI FRIDERICIANAE CIVES, iam aperiendum eſt. Non alia facile conſilii ratio aliarumque rerum ſtudium me in hanc illuſtrem arenam eduxit, ad contendendum ſociis lacertis cum maximis noſtri aeui uiris, quam ille ſingularis amor bonarum litterarum, in quibus omne transegi aetatis meae tempus, illaque uerae eruditionis laudisque aemulatio, qua pectus meum exarſiſſe non inficior, quoad maxima ex omnibus gentibus populisque felicium ingeniorum exempla menti illuxerunt. Haec cura, hoc deſiderium, haec oblectatio ſola me uobis aſſeruit, CIVES, qua re nihil puto innocentius, nihil ad commendandas uobis operas meas eſſe efficacius. Prodeo itaque in conſpectum ueſtrum, in uario genere doctrinarum dux uobis futurus & commilito. Liberate animos ea opinione, eſſe bonas litteras quaerendas quaeſtus gratia, & ex lucri auiditate aeſtimandas. Sunt eae diligendae, ſunt deſiderandae ob ſuam inſitamque praeſtantiam, qua nihil ad ornandum ſapientis animum eſſe poteſt praeclarius. Felicem me exiſti-

Digitized by Google

exiſtimarem, ſi eam mentibus ueſtris iniicere ſententiam poſſem, cui officiunt illi, qui a uera litterarum elegantia remoti ſunt, & leui apparatu a doctrinarum cultu abſoluunt diſcentium animos. In illo uero ſolidae eruditionis amore quantum proficiunt aetates, tantum ſunt a barbarie remotiores, cuius rei auſpicia praecipue ab academiarum pendent conditione. Equidem quantum in me eſt faciam deinceps doctor ſcriptorque pro iuuanda Fridericiana, illa celeberrima diuinae humanaeque ſapientiae matre, cuius fama celebritasque immortalem Potentiſſimorum Boruſſiae Regum gloriam, a litterarum legumque beneficio, poſteritati tradet. Videtis, CIVES, affectum contentionemque laborum meorum, quorum iam indicium paucis habete. Hora matutina IX. ad X. *hiſtoriam Iuris Romani*, eiusque, quae unquam fuerunt, fata a me percipietis, duce Cl. BRVNQVELLO, cuius *hiſtoria Iuris Romano-Germanici* in Belgis iam recuſa eſt, ita tamen, ut ii quoque, in quorum manibus non eſt liber is, ad omnimodam inſtitutorum Latii cognitionem proficere queant. Hiſtoria uero illius iuris, quod uerſamus quotidie, quin utiliſſima ſit, dubium uobis, CIVES, uideri non debet. V. C. IO. GEORG. GRAEVIVS *in praef. ad Tom. I. theſauri antiquitt.* auctor omnibus eſt, uti uel anteire iubeant eam, uel comitari, ciuilis iuris cognitionem. Exponit enim iuris legumque originem, mutationem, abrogationem, rituumque ueterum naturam atque poteſtatem, cui additurus ſum ubique ſuccinctam commentationem, plenamque egregiorum ſcriptorum ac ICtorum omnis aeui notitiam, uti nouitiis haec omnia laudabilis inſtar utilisque primordii, ueteranis non poenitendi poſtſcenii loco eſſe poſſint. Hora XI - XII. *Inſtitutionum* ero interpres, omniumque argumentorum uerum exponam ſenſum atque efficaciam, ac praecipue ex antiquitatibus hiſce elementis lucem affundam, ſine quibus omnis uana eſt atque inanis eorum tractatio. Hora II - III. *hiſtoriam* tradam *litterariam* ductu B. GVNDLINGII cuius delineatio Germanico ſermone edita proſtat in Rengeriano bibliopolio, quam & ſermone & commentatione aliqua illuſtrare, uariisque in locis ſupplere, conſtitui, non ſine praeſtantisſimorum librorum doctrinaeque ſubſidiorum commemoratione. Deinceps ſi qui ſunt, qui ad ſtili & ſermonis cultum proficere meis inſtitutionibus cupiunt, iis lubens me addico ducem comitemque, ſimulac de eorum deſideriis conſtare mihi licuit. Aeſtimandum uero, CIVES, praecipue eſt, in qua re ſita ſit uera pulchritudo ſermonis, illaque in ipſa ſimplicitate maieſtas, quantumque interſit inter gregarios ſcriptores, qui uulgari & Grammatica ſcribendi facultate Romanae eloquentiae integritatem metiuntur, & inter myſteria Latii, omnibus iis intercluſa, quibus aliquod aetatis tempus non fuit totum in amandis legendisque ueteribus, in aemulatione illius floreſcentis ac uiuae Latinitatis, in pernoſcendis antiquorum diuitiis, & tam dictionis quam rerum inſigni abundantia. Quae prodigii inſtar uidebuntur his, quibus nemo lectus aut uiſus alias, quam MAIORAGIVS aliquis, BVCHNERVS, aut EVNAEVS, ſimilesque. Offero denique doctrinas ſingulares de excerptis in omni ſcientiarum genere ac ſigillatim in hiſtoria omni bene adornandis, & familiari inſtruenda bibliotheca, ad quam omnem cognitionem, omnem colligendi ſedulitatem referat bonarum litterarum ſtudioſus. Temporis opportunitatem ipſos eligere malo harum rerum cupidos, ſuisque ſtudiis pro uirili parte conſulere. Omnium harum lectionum, hic fere deſideratarum hactenus, auſpicium erit die 1. Maii. CIƆ IƆ CC XXXI.

)o(

BIBLIOTECA ...
Digitized by Google